

non nisi brutum, & omne simile profert non nisi suum simile. Quapropter qui de proprio non habet, de alieno ad libitum suum habere non potest. Hoc autem dicimus, ut nemo amittat suam pecuniā. Nam cūm quidam decepti sint ingenij sui tarditate, & ad inopiam deducti, alios tentant etiam seducere, & ad miseriam compellere. Consulo autem, ut nemo se arti huic intromittat ad inueniendum, nisi principium veræ naturæ & cius regimen agnoscat, quia cognita pluribus non indiget rebus, nisi vna, nec magnas requirit expensas, quoniam vnuus est lapis, vna medicina, vnum vas, vnum regimen, vnaq; dispositio. Et scias quòd ars est verissima. Porrò Philosophi nunquam studiissent tot colorum diuersitates, & ordinem exprimere, nisi vidissent & testigissent. Quare illud repetimus: Omnes extra naturam laborantes deceptos esse ac deceptores. Igitur in natura nostrum sit exercitium, & intētum obsequium: quia lapis noster de re animali, vegetabili & minerali. Vnius ergo esto voluntatis in opere naturæ, nec modo hoc, modò illud attentare præsumas, quia in rerum multitudine ars nostra non perficitur. Quantumcunq; enim diuersificantur eius nomina, tamen semper vna sola res est, & de eadem rc: non enim introducitur in naturam, quod in ea non est de sua natura. Quare oportet esse necessarium, vt agens & patiens sint in genere res vna & eadem: In specie autem altera & diuersa, secundum Mercurium, quo diuersificantur mulier à viro, quia licet in uno genere conueniant, tamen inter se habent differentiam distinctam, vt differunt materia & forma. Materia namq; patitur actionem, forma vero agit sibi assimilans materiam. Ideo materia naturaliter appetit formam, sicut mulier virum, & turpe pulchrum. Sic liberius complectitur corpus spiritum, vt ad suam perueniat perfectionem. Cognoscendo ergo radices naturales, melius facies ex eis opus tuum: quia non possum alio modo lapidem nostrum exprimere, nec alio nomine nominare. Patet ergo ex præmissis, quòd lapis noster est ex quatuor elementis: & habent cum tam diuites quam pauperes, & inuenitur ubique, & assimilatur omnibus rebus, & est compositus ex corpore, anima, & spi-